

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1763

[Einführung]

[urn:nbn:de:bsz:31-295084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295084)

LANDGRAVIATUS BRISGOVIÆ.

§. I.



Indoles, migratio & fata Landgraviæ Brisgovicæ Introitus.
difficillimam Civilis Historiæ Brisgoviorum
constituunt partem; id quod in Landgraviatibus
Alfaticis quoque suo loco (a) annotavi.

Argumentum hoc ex Scriptoribus nullum aut debile, ex
Diplomatibus & Chartis, quas undiquaque collegimus, præcipuum
accipit lumen.

Comitivæ hæ Provinciales, Rheno tantum inter se distinctæ,
simile exordium, similia decremента habuerunt; tanta decremента,
ut Landgraviatum Brisgoviæ in ipso hodie Landgraviatu requiras.

Brisgoviæ Pagum ab Alfatia, Baselgovia & Augstigovia Brisgo-
viæ limi-
tes.
Rhenus, ab Ortenavia amnis Bleicha, ab Alpigovia Silvæ Nigræ
cacumina, apex denique ejusdem Silvæ ad Rhenum usque
profiliens (b) a Basilea minoris agro difterminat.

(a) *Alfatia Illustr.* Tom. II. pag. 12. & 126.

(b) Vulgo *Crenzacher Horn*, *Horn vom Schwarzwald*. Simili modo *Horn des
Blauens*, apex Vogeli dicitur apud URSTIS. *Chron. Basil.* pag. 20.

Libertas Brigovia, ut omnis Suevia, libera semper fuit Imperii sine medio provincia, Ingenuis, Militibus, Liberis Dominis, Dynastis, Civitatibus & sacris Ordinibus plena. In ea plures erant Mansi, Curtes & Vici regales; silvæ, flumina, vectigalia, metallifodinæ; pristina fisci Cæsarei domania.

Magistratus. Bellum administrare, pacem publicam conservare, politiae totius provinciae quovis modo prospicere, Ducis fuit officium, quem Brigovia multis seculis cum Suevia & Alsatia communem habuit magistratum Imperii, non propria potestate pollentem. Jurisdictio autem commissa fuit Comiti, qui ab initio simpliciter *Comes*, inde *Comes Provincialis*, lingua patria *Landrichter*, frequentius *Landgrav*, dicebatur. Vir nobilis, pro arbitrio Regis constituendus & revocabilis Judex; donec temporis progressu Comitivæ illæ hereditariæ fierent, ab una stirpe vel linea transituræ ad aliam.

Periodi quinque Landgr. Series Landgraviorum Brigoviae in V. Periodos opportune dividitur. *Vagam* appellamus eam, quæ omnium prima est, quod ab initio Comitiva certæ non inhæserat Domui. Periodo vagæ *Zaringica*, *Hachbergica*, *Sausenbergico - Friburgensis*, *Badensis* suo quæque ordine successerunt. His enim quatuor Familiis, ex una Gente prognatis, Landgraviatus adhæsit.

EPOCHA